

neque tu uno eras contenta neque solus dedit ;
nam hic quoque bonam magnamque partem ad te attulit.

TH. itast ; sed sine me pervenire quo volo.

45 interea miles qui me amare occeperat 125
in Cariamst profectu' ; tē ĩnterea loci
cognovi. tute scis postilla quam intumum
habeam te et mea consilia ut tibi credam omnia.

PH. ne hoc quidē tacebit Parmeno. *PA.* oh dubiumne
id est ?

50 *TH.* hoc agite, amabo. mater mea ĩllic mortuast 130
nuper ; ěiu' frater aliquantum ad remst avidior.
is ubi esse hanc forma videt honesta virginem
et fidibu' scire, pretium sperans ilico
producit, vendit. forte fortuna adfuit

55 hic meus amicus : emit eām dono mihi 135
inprudens harum rerum ignaru'que omnium.
is venit : postquam sensit me tecum quoque
rēm habere, fingit causas ne det sedulo :
aĩt, si fidem habeat se iri praepositum tibi

60 apud me, ac non id metuat, nē, ubi ācceperim, 140
sese relinquam, velle sē ĩllam mihi dare ;
verum id vereri. sed ego quantum suspicor,
ad virginem animum adiecit. *PH.* etiamne amplius ?

TH. nil ; nam quaesivi. nunc ego eām, mi Phaedria,
65 multae sunt causae quam ob rem cupio abducere : 145
primum quod sorōr est dicta ; praeterea ut suis
restituam ac reddam. sola sum ; habeo hic neminem
neque amicum neque cognatum : quam ob rem, Phaedria,
cupio aliquos parere amicos beneficio meo.